n. id dudum in idolo suo Mariano Firmiano noster: hoc ipso quidem se maluit, quàm proprio suo vocari nomine opusculi laudati Auctor. Nihilominus verò idololatrica haec quaternitas è Iustiniano refutari poterit. Laudatissimus quippe Imperator Codicis lib. 1. tit. 1. sic loquitur: Credentes in Patrem et Filium et Spiritum S. unam essentiam in tribus hypostasibus seu subsistentibus personis adoramus, unam Deitatem, unam potestatem, Trinitatem consubstantialem. f. Non, non admittit Trinitas ullam quaternitatem, poteritque et id ipsum quoque ex Arithmethica demonstrari. Tantum verò abest, ut ex Arithmethicis, vel ulla rationis nostrae decempedâ, magnum illud Trinitatis mysterium metiri velimus: ut potius id credamus, atque solo dei obsequio veneremus. Quicquid sit: jubare interim solis meridiani clarius è dictis patet, nihil excellentius, nihil praestantius unquam in terrarum orbe Nativitate Christi extitisse. Imò ex iis, quae dixi, luculentissime constat

Conclusio.

EXCELLENTISSIMAM EXCELLENTIARUM OMNIUM NATIVITATIS CHRISTI SALVATORIS NOSTRI ESSE EXCELLENTIAM. Praedicemus itaque nos, et laudibus omnibus, in hoc calce Orationis id celebremus: quòd nostra salus tantopere DEO nostro curae cordique fuerit, ut unigenitum suum Filium, in plenitudine temporis, hac ipsâ in se et per se quidem excellentissima, quoad externam verò speciem abjectissimâ nativitate nasci voluerit. Sit ipsi, ob tantum beneficium, quod ne angelicis quidem linguis sat digne celebrari poterit, laus, sit gloria, sitque honor in sempiterna secula, Amen.

Hartmann Petrus [illegible]
Gissâ-Hassus